





1740.

1. Edwards, Johannis Hieronymus: De fide librorum mercatoriorum.
2. Guering, Rube. Antonius: De viis intra corpus assumpti usque et noxa.

1741.

1. Lindkies, Terentius Theobaldus: De incurabilibus materia.
1742. 2. Lindkies, Terentius Theobaldus: De feloniam specie, quam consuetudines feudales concubitalionem appellant.

1742.

1. ~~Fausch, Joh. Paulus: De accusacione judices suspecti et juramento probacionis in fine~~  
Schroeter, Jo. Georgius: De usu remedi legis fidei. Cod. de Edicto Divi Theodorici tollendo proecipue in causis feudales et Ministeribus.

1745

1. Faust, Joh. Samuel: De recusatione iudicis suspecti ac iuramento perhorrescentiae

1746.

1. Wiegand, Johann: De heredum scribendorum ratione.

1748

1. Lorenz, Joh. Michael: De successione in Austria fœda hinc regnum, Francie, Germaniae, Italiae.
2. Gilbertus, Thoms. Martinus: Vindiciae historico-juridicae juris Romani et Teutonici in Germania contra reformationem de a. 1441. Frederico III Imperatori subscripti relictae.

1750

1. Bach, Joh. Josephus Antonius: De fœdo ab uno dante venditio nem non amittendo.
2. Coimbux, Petrus Philippus Georg. Antonius de: De jure advocatiae seu protectionis

1750

3. Feiglerus, Jo. Mathopredus: De limitata Imperatoris  
potestate in concedendis expectativis in fenda  
imperii majora P. 1733

4. Koylerus, Jo. Reinhardus: De probatione adretorii  
secundum leges Divinas et humanas

5. Manpinal, Joh. Ambrosius: De jure Grutiae

1752.

1. Lehmannes, Jos. Theophilus: De natura et jure  
honorum consistoriorum

1753.

1. Völsinglin, Philippus, de: De aetate legitima  
eligendi regis Romanorum

1756

1. Scheid, Jo. Gualterson: De potestate statuum  
imperii leges in territoriis ferendis recessibus imperii  
contrarias II.

2. Liberrad, Joh. Mart: De occupatione rerum immobilium.



1757.

1. Ehren, H. F. R. : De occupatione rerum mus-  
ficarum. Spec. II.

1758.

1. Boursier, Josephus : De collatione bonorum.
2. Rebanier, F. Maurus : De rapta virginum.







UNIVERSITÄTIS JURE

FIDELITATE ET VIRM

IN SECRETIS ET AUCTORITATE  
MAGNIFICENTIA ET AMPLISSIMA

UNIVERSITATE  
PRO LICENTIA

SYNDOS IN UTROQUE JURE HONORIS  
AC INTELLECTU MAXIMORUM RITE  
CONSERVANDI

WENFRIED  
UNIVERS  
ZVHALP





13  
Pra. 29. num. 16.

B. C. D.

DISSERTATIO JURIDICA,  
DE

1746, 1

7. 497.  
HEREDUM  
SCRIBENDORUM  
RATIONE,

7

QUAM

DEO CLEMENTER ADJUVANTE

IN ALMA ARGENTORATIENSIS  
UNIVERSITATE

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS WIEGERI,

J. U. D. PAND. ET JUR. CANON. P. P.

ORD. FACULTATIS JURIDICÆ h. t. ET CAPI-  
TULI THOMANI DECANI,

SOLENNITER DEFENDET

D. XVIII. AUGUSTI, A. R. S. MDCCXLVI.

JOH. PETRUS ANDLAUER,

SELESTADIENSIS,

AUTOR.

HORIS LOCOQUE CONSUEVIS.

ARGENTORATI,

Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

DEO,  
PATRIÆ,  
PARENTIBVS,  
PATRONIS,  
atque  
AMICIS.



B. C. D.

DISSERTATIO JURIDICA,  
DE  
HEREDUM SCRIBENDORUM  
RATIONE.

§. I.

**R**Omani, olim formularum curiosif-  
simi, etiam in scribendis heredi-  
bus, testatorum libertatem valde  
adstrinxere. Non quaslibet for-  
mulas, non quævis verba, volun-  
tatem quantumvis distincte signi-  
ficantia, sufficere voluerunt. Et quantumvis te-  
stamen-

A 2

stamen-

stamenta, olim in Comitiiis facta, defuetudine paulatim obumbrarentur; conclusionibus tamen exinde derivatis institerunt pertinacissimi. Sane si usquam, certe in testamentorum materiaprehenduntur antiquitatis vestigia, quæ si sicco pede transfero, vereor, ne in pernoscenda hac materia frustra operam infumas. Ut itaque rem vel leviter saltem perstringamus, sequentia annotare, Celeb. HEINECCII prementes vestigia, a re non alienum fore duximus. Scilicet cum Populus Romanus per Leges suas certum succedendi ordinem introduxisset, nefas videbatur, quendam pro sua libidine illum ordinem turbare, & evertere posse; alios, Legibus illis ad successionem non vocatos, instituendo. Inferiorem enim in Leges superioris nihil posse, jam tum certissimi habebatur juris. Cum vero ex principiis Juris Romani nihil tam naturale sit, quam, ut quodlibet eodem modo solvatur, quo fuit constitutum, Analogiæ Jurisprudentiæ Romanæ concinnum videbatur, ut Leges de Successione à Populo in Comitiiis latæ, in Comitiiis denuo tollerentur; atque is heres a Populo nuncuparetur, qui talis ex tenore Legum publicarum non fuisset futurus.

§. II.

## §. II.

Testamenta itaque antiquitus Leges fuisse nemini potest esse obscurum, non enim valitura, nisi populus illa in Comitiiis approbasset. Non itaque mirandum, si eadem ac Legum in iis deprehendatur forma. Ast Legibus imperativis locum datum fuisse non quisquam facile mirabitur. Latius id V. C. HEINECCIUS in *Antiq. ad Inst.* exsecutus est, *L. II. Tit. 10. §. 2.* Formam testamentorum, quam in Comitiiis obtinuerunt, servarunt Romani, testamentis etiam non amplius in Comitiiis fieri solitis. Exigebantur adhuc tum verba imperativa vel directa. Instituebantur enim heredes his verbis: *Titius haeres esto: Titius haeres sit.* Si quis desiderio plures hujusmodi formulas inspiciendi flagret, adeat BARNABAM BRISSONIUM, de *Formulis solennibus Pop. Rom. Lib. VII. §. XV.* ubi omnigenarum formularum farraginem invenire poterit, harumque rerum finem restringere.

## §. III.

Procedente tempore, paulatim ab hoc rigore descitum fuit. Sufficere visa sunt verba quæcunque, modo distinctam voluntatem, certumque heredem præ se ferrent. Quod adeo extra omnem dubitationis aleam positum est, ut Lex, qua illa prisca verborum solennitas sublata est, in Codice nostro adhuc inveniatur. Hæc constitutio, quæ ab Imperatore CONSTANTINO M. ad Populum emanavit, digna nobis videtur, quæ hic loci apponatur. Est illa L. 15. Cod. de Testam. ubi ita Imperator: *Quoniam, inquit, indignum est, ob inanem observationem irritas fieri tabulas, & Judicia mortuorum; placuit: ademptis his, quorum imaginarius usus est, institutioni heredis verborum non esse necessariam observantiam, utrum imperativis & directis verbis fiat, aut inflexis. Nec enim interest, si dicatur: heredem facio, vel instituo, vel volo, vel mando, vel cupio, vel esto, vel erit; sed quibuslibet confecta sententiis, vel in quolibet loquendi genere formata Institutio valeat, si modo per eam liquebit voluntatis intentio: nec necessaria sunt momenta verborum, quæ forte seminecis & balbutiens lingua profudit.* Et  
*in*



*in postremis ergo Judiciis ordinandis amota erit solennium verborum necessitas: ut qui facultates proprias cupiunt ordinare, in quacunque instrumenti materia conscribere, & quibuscunque verbis uti, liberam habeant facultatem.*

§. IV.

Quid itaque nos, post tam luculentam Imperatoris constitutionem, impedit? quominus credamus, & nostris temporibus verba quævis, modo interpretationem pro heredis institutione recipere valeant, sufficere. Assueverunt etiam nostri ævi Jure Consulti, æquitatis strenui Athletæ, verba, quantumvis dubia, sic explicare, ut heredis institutio, adeoque & testamentum, sustineatur; maxime sequentes PAULI sententiam, qui *publice enim, inquit, expedit, suprema hominum Judicia exitum habere. L. s. ff. Testament. quemadm. aperiant.* Licet itaque in quadam testatoris dispositione, verbum heredis, non inveniatur, nequaquam tamen eam propterea corruere patimur; modo verba æquipollentia adsint, quæ per regulas bonæ interpretationis ad heredis institutionem flecti

facti queant. Exempla de verbis hujusmodi  
dubiis in sequentibus exhibebimus.

§. V.

Dubitatum aliquando fuit, an heredes per  
verbum *relinquo* institui possint. Multi anti-  
quorum Juris-Consultorum non posse existima-  
runt, relati ab ALEXANDRO, in *l. Nam*  
*quod. 14. §. non omnis. 5. ff. ad SC. Trebellian. n.*  
*6.* Sed hos suo sensu abundare patimur. Ne-  
que enim sumus hæsitabundi, si verbum relin-  
quo universitati bonorum adjectum sit, pro  
heredis institutione illud accipere: secus vero  
existimaremus, si rebus singularibus appositum  
esset: hoc ultimum enim sine regularum her-  
menevticarum injuria, pro universali bonorum  
dispositione venditari non poterit, testatore non  
nisi particulariter, vel de bonis singularibus locu-  
to. Obstare nobis videtur §. *plane. 1. Inst.*  
*de Test. mil.* ubi dicitur: *Cæterum si (ut ple-*  
*runque sermonibus fieri solet) dixit alicui: Ego*  
*te heredem facio, aut Bona mea tibi relinquo;*  
*non oportet hoc pro testamento observari. Nec*  
*ullorum magis interest, quam ipsorum, quibus id*  
*privilegium datum, ejusmodi exemplum non ad-*  
*mitti: alioqui non difficulter post mortem alicu-*  
*jus*

*jus militis testes existerent, qui affirmarent, se  
 audisse dicentem aliquem, relinquere se bona:  
 & per hoc vera judicia subverterentur. Id  
 ipsum etiam disponit l. Divus Trajanus. 24. ff.  
 de Test. milit. ex qua cit. §. est defunctus. Sed  
 absit, ut his Legibus nostra sententia destrua-  
 tur; quin potius, illi exinde non exiguum ro-  
 boris accedere, sumus persuasi. Rem totam  
 conficiet, si distinguamus inter verba dispositiva &  
 enunciatiua: verba etenim enunciatiua, de quibus  
 loquuntur allegatae Leges, qualiacunque sint,  
 heredis institutionem nunquam efficiunt: non  
 enim exinde de serua testatoris voluntate con-  
 stat. Sed verba dispositiva si adsint, quacun-  
 que locutione prolata, testamentum sustinent;  
 intentio enim testatoris patescit exinde eviden-  
 ter. Si contrarium teneas, sequeretur, quod  
 etiam verba quam maxime alias dispositiva: *he-  
 redem facio*, in Legibus allegatis memorata, he-  
 redis institutionem operari nunquam possint;  
 quod tamen non nisi ii, qui emorae mentis est,  
 statuet. Relinquitur itaque, ut cum in Legi-  
 bus verba illa: *heredem facio, bona mea relin-  
 quo*, pro æquipollentibus habeantur, heredis  
 institutio verbis illis facta, modo dispositive ad-  
 dita sint, valida sit, & testamentum sustinea-  
 tur.*

B

§. VI.

§. VI.

Non minus circa verbum *Legare* plures hæserunt, an illud in dispositionem universalem quadrare possit. FERNANDUS VASQUIUS, *Tomo II. Libro I. §. III. n. 14.* ita subducit rationes, ut ad illam non admittat: sine dubio verbo *Legare* ut plurimum particularem dispositionem inferentē permotus. Ita enim loco citato: *Aliud forte* (inquit, scilicet quam in verbo *Relinquo*, de quo *n. 13.* egerat) *in verbo Lego*, quod adjectum universali rei, nullius momenti facit dispositionem, siquidem in genere generalissimo adjiciatur, veluti si dixi: *Lego rem, vel Lego substantiam; tunc enim Legatum non valet.* Et Jure-Consultos Vitembergenses Anno 1707. eandem in sententiam respondisse, apud BERGERUM, *Oecon. Jur. Lib. II. Tit. IV. Vers. XV. Not. I.* invenies; testamentum nempe patris, quo uxor heres fuit instituta, & filio Legatum relictum, ipso Jure nullum pronuntiarunt. Ast eos non bene subducta ratione fuisse arbitrabitur forte aliquis. Quem enim fugit? Legem Duodecim Tabularum jam edixisse: *Paterfamilias uti Legasit sua rei ita Jus Esto*; adeoque jam apud Decemviros vocem

vocem *Legare* non modo particularem testatoris dispositionem, sed omne testamentarium negotium comprehendisse. Ita enim JAVOLENUS, l. 120. ff. de Verborum signif. docet: *verbis Legis XII. tabularum his: uti Legasset suæ rei, ita jus esto, latissima potestas tributa videtur & heredis instituendi, & Legata, & Libertates dandi, Tutelas quoque constituendi.* Ab Analogia Juris antiqui itaque eos non recedere existimamus, qui vocem *Legati*, ut testamentum sustineatur, de heredis institutione explicant, ubi cæteroque mens testatoris clara est. Quam sententiam, Legibus modo dicto innixam, etiam magni nominis Juris-Consulti tuentur. TESSAURUS, *decif. 58. n. 8. 9.* BERLICHIVS, *P. 3. Conclus. 15. n. 44.* & CARPZOVIVS, *P. 3. C. 9. def. 7.* Cujus tamen ultimi limitationem, citate definitioni n. 9. additam, sub explicatione data merito simul nostram facimus. *Sed hæc omnia, scribentis, si dubia sit voluntas testatoris; que si ex circumstantiis alia appareat, contra intentionem & mentem defuncti, verba communia pro directis haberi non debent; licet corruat ipsum testamentum.* Id quod & præjudicium ab eo dictæ Definitioni subjunctum, eleganter & illustrat, & usum verbi *Lego*, de legatis hodie ordinarium, adeoque præsumendum, confirmat.

## §. VII.

Nihil certius est, juxta plerosque, quam quod Imperator JUSTINIANUS antiquum Jus, §. 6. INSTIT. de *Inofficioso testamento*, & NOVELL. 18. Cap. 1. comprehensum, quo Legitima quocunque titulo Liberis relinqui poterat, per NOV. 115. Cap. 3. pr. migraverit, parentibus necessitatem Liberos heredes instituendi imponendo. Extiterunt tamen Jure-Consulti, qui per dictam Novellam antiquo Juri non obrogatum fuisse eousque contenderent; quos inter maxime JOH. STRAUCHIUS nominandus venit. Vide *Ejus Diss. 9. §. 38. ad Jus Justinian. privat. & BERGERI Oecon. Juris, Lib. II. Tit. IV. §. XV. not. 1.* Quorundam rationes sunt, quod NOV. 115. hæredis institutionem diserte non exigat, quodque verba *nec si*, quæ ibi reperiuntur, idem quod *nisi* indigent, quod denique AUTH. *Novissima. Cod. de Inofficioso testamento*, quæ Legitimam quoque titulo relinqui permittit, Codici sit infera, atque cum eo usu fori recepta. At profecto NOVELLA 115. Cap. 3. pr. satis clare loquitur, & voces *nec si* male per *nisi* explicantur; cum potius idem quod

quod *etsi* denotent. Ita quoque eas interpreta-  
 tus est ex Græco Idiomate HOMBERG ZU  
 VACH, in Novellis ex Græco in Latinum con-  
 versis, NOV. 115. Cap. 3. pr. ubi occurrit vo-  
 cula *uav*. Et ad AUTH. *Novissima*, respondent,  
 eam simul cum fonte suo, Novella scilicet 18,  
 in Novella 115. corrigi. Sed licet & nos sta-  
 tuamus, Liberos non aliter, nisi honorabili he-  
 redis titulo institui posse; ob NOVELLAM 115.  
*c. 3. & 5.* tamen, cum alia verba facile ad here-  
 dis institutionem flecti patiamur, partim eatenus  
 hæc controversia fere in nihilum recidit; par-  
 tim vero subtilius rimantibus ratio patebit, cur  
 AUTHENTICARUM CODICI INSERTARUM AUTO-  
 RES, & cum iis STRAUCHIUS, *l. c.* non ob-  
 stante Novella CXV<sup>ta</sup>. quæ parentibus & libe-  
 ris honorem institutionis diserte tribuit, tamen  
 ex Novellæ XVIII<sup>væ</sup>, Capite I<sup>mo</sup>. Codici inser-  
 tam Authenticam *Novissima lege*. post *L. 6. t.*  
*de Inoff. testam.* jus vere novissimum continere,  
 neque eidem Novellam 115<sup>tam</sup> derogasse, exi-  
 stimaverint; atque ideo nullam correctionis  
 Novellæ 18<sup>væ</sup>. mentionem ex Nov. 115. quæ  
 sine oscitantia alias minime omitti potuisset, di-  
 ctæ Authenticæ *Novissima*. subjecerint dicti Eju-  
 dem Insertores.

§. VIII.

Quemadmodum jam supra per vocem *Legati* aliquem heredem institui posse nos adstruere meminimus ; ita plures aliæ formulæ sustinentur , quibus heredis institutio inferitur. Ita , si filio *Legitima* in certis rebus relicta fuisset , similiter pro validitate hujus institutionis pronunciare non dubitamus. Neque nos permovet *Autoritas FABRI, Lib. de Erroribus pragmat. dec. 14. error. 6.* testamentum , in quo filii certis rebus jubentur esse contenti , irritum , aut potius nullum pronuntiantis : Ipsi enim *Legi* luculentæ innitentes , *Autoritatum* torrente abripi nos non sinimus. Quid enim *NOVELLÆ ILL. Cap. 5.* clarius sit , non videmus. Ita ut nihil præter ipsissima *Novellæ* verba confundendis diversæ opinionis viris opus esse videatur. Ast illa ita sonant : *hec autem disposuimus , ut parentes & filios a testamentorum injuria liberos reddamus. Ceterum , si qui heredes fuerint nominati , etiamsi certis rebus jussi fuerint esse contenti , hoc casu testamentum quidem nullatenus solvi præcipimus ; quicquid autem minus eis Legitima portione relictum est , hoc secundum nostras alias leges ab heredibus impleri.*

§. IX.



## §. IX.

Possset etiam quæstio moveri , an testa-  
 mentum , in quo pater filium suum heredem  
 instituit ; sed saltem in peculio ipsius filii ad-  
 ventitio , sustineatur ? Videtur prima specie  
 quod non : quoniam is pro præterito habendus  
 est , cui pater nihil de propriis reliquit ; adeo-  
 que profligandum tale testamentum videtur.  
 Nos vero non sine ratione diversam sectamur  
 sententiam , atque testamento illi omne robur  
 attribuimus ; & quidem *Leg. 36. pr. Cod. de  
 Inoffic. testam.* ducti : in hac enim Lege testamen-  
 tum , in quo filius , qui in re certa institutus  
 est , tamen tota hæc res evicta fuerit , sustine-  
 tur , & alia res , vel pecuniæ , restitui jubentur .  
 Ex his pronò fluit alveo , quod Actio supple-  
 toria hic locum habeat , etiamsi vel maxime filius  
 plane nihil ex substantia patris consecutus sit .  
 Deinde , cum in qualibet dispositione vel nego-  
 tio ea explicatio capienda sit , quæ potius susti-  
 net , quam pessum dat Actum ; ita præprimis  
 testamentorum favor tantus est , ut in dubio  
 pro validitate eorum sit judicandum . *L. 12. §  
 89. ff. de Regul. Jur.* optima enim est illa ratio ,  
 quæ pro conservanda ultima voluntate & tuen-  
 do testamento assumitur . MATH. WESENB.  
*Consil.*

*Consil. 85. num. 47. cum nihil magis quam il-  
 lud humanitati conveniat, L. 1. Cod. de SS.  
 Ecclesiis. & publice interfit, ut testamta con-  
 ferventur, L. Vel negare. 5. ff. Testam. quemadm.  
 aper. etiam quoad filiorum justam exclusionem.  
 JAC. MENOCH. 4. de Presumpt. 10. num. 11.  
 lqq. L. 10. pr. ff. de Inoff. testam. juncta Nov.  
 115. c. 3. pr. ibi: nisi forsan probabuntur ingra-  
 ti. Atque ita specimini academico impo-  
 nimus colophonem.*

DEO SOLI GLORIA  
 IN SECLA.




ULB Halle  
005 039 479

3







13

1797

*Pra. 29. num. 16.*

B. C. D.

DISSERTATIO JURIDICA,  
DE

*1746, 1.*

HEREDUM  
SCRIBENDORUM  
RATIONE,

7

QUAM  
*DEO CLEMENTER ADJUVANTE*  
IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE  
*SUB PRÆSIDIO*

DN. JOHANNIS WIEGERI,  
J. U. D. PAND. ET JUR. CANON. P. P.  
ORD. FACULTATIS JURIDICÆ h. t. ET CAPI-  
TULI THOMANI DECANI,

SOLENNITER DEFENDET

*D. XVIII. AUGUSTI, A. R. S. MDCCXLVI.*

JOH. PETRUS ANDLAUER,  
SELESTADIENSIS,  
AUTOR.

HORIS LOCOQUE CONSUETIS.

---

*ARGENTORATI,*  
Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

